

CIRCARIAE ANGLIAE

Versus medium saeculum XII stupenda evolutio ac propagatio Cisterciensium in Anglia finem acceperat, cui successit tempus illustrium ordinum canonicorum¹⁾, Sti. Augustini scilicet (vulgo „Black Canons“), qui habuerunt in hoc regno 193 canonias, et Praemonstratensium, vulgo „White Canons“ nuncupatorum. Ordo noster venit in insulas anno 1143 e Flandria (Licques). Cum esset gallici originis, favit illi inferior nobilitas anglo-normannica, praesertim familia et latior propinquitas Ranulphi Glanville, fundatoris de Leiston²⁾. Nulla autem fundatio procedit a domo regia.

Iam saeculo XIII triginta eius canoniae in Anglia erant divisae in tres circarias, australem enim sive meridionalem, mediam sive medianam, et borealem, quae per saecula etiam canonias Scotiae complectebatur. Sed cum sit evidens, Circariam Scotiae in fine fuisse sui juris, illam infra separatim tractabimus. Quia ceteroquin evolutio et historia domuum in Anglia quoad omnia concordant, cunctas coniunctim proponimus. Secundum catalogum quendam ex abbacia Stae. Radegundis anni 1288³⁾ divisio earum in singulas circarias erat sic:

Circ. australis: Leyston, Langley, West Derham, Torre, Tichfield, St. Radegund, Bayham, Durford, Langdon, Beleigh, Wendling.

Circ. mediana: Newhouse, Croxton, Welbeck, Barlings, Sulby, Halesowen, Tupholme, Beauchief, Dale, Lavendon, Newbo, Hagneby.

Circ. borealis: Alnwick, Dryburgh, Easby, Tongland, Whithorn, Holywood, Soulseat, Cockersand, Shap, Blanchland, Coverham, Eggleston.

Quibus accedit Fearn, de qua vide infra apud Circariam Scotiae, et abbacia unica in Wales sita, Tal-y-Llychau, quae tunc ad nullam circariam pertinebat, et nonnisi post annum 1290 medianae est aggregata. Asceteria et prioratus in nullo indice occurrunt. Notandum est, abbatiam Welbecensem in indicibus in Anglia redactis⁴⁾ me-

¹⁾ Notandum est, evolutionem in Circ. Saxoniae fuisse vice versa (WINTER)

²⁾ Confer genealogiam apud COLVIN pp. 33 sq.

³⁾ St. Radegunds Cartulary f. 186, publ. apud Colvin p. 352. Quo in catalogo Fearn est omissa, et Talley in margine infra apponitur.

⁴⁾ In indice vix allato, et in alio saeculi XV (CAP nr. 41)



dianae esse adscriptam, dum ceteri omnes, nobis noti, eam boreali attribuant. Etsi nullus praelatus Ordinis in Anglia vel in Scotia fuerit infulatus praeter priorem capituli cathedralis de Whithorn⁵⁾, canonicae Praemonstratenses optime floruerunt, et haud paucae inter illas erant conspicuae et insignes, ut Torre, Welbeck, Alnwick, Easby, et Bayham. Quoad bona et divitias autem potius modestae erant dicendae, quia fundatores earum, barones secundi gradus (sic dicti „curiales“) generatim non erant locupletes. Fuerunt in Anglia abbatiae aliorum ordinum, perantiquae et regiae pluries foundationis, quorum redditus annui excedebant mille vel duo millia librarum, dum ex 30 domibus ordinis nostri octo tantum gaudebant proventibus annuis inter 200 et 400 libras⁶⁾. Ditiores erant Torre (398 libr.) et Croxton (385). Eggleston, quae habuit 36 libras tantum, Tupholm, Durford et Wendling semper penuria laborabant. Primae duae foundationes de Dale, prioratus de Snellshall et de Blackwose egestate perierunt, canonicae Otham et Brockley tantum unione potuerunt salvari, quod et intendebatur pro Langdon et St. Radegund.

Videtur systema „autarchiae“, initio in Ordine ad normam Cisterciensium vicens, quo bona monasterii in curiis divisa a conversis colebantur, in Anglia iam ocius quam alibi fuisse abolitum. Rarissime in documentis fit curiarum mentio, conversi vero, saeculis XII/XIII, et rarius XIV memorati, saeculo XV iam non inveniuntur. — Nobiles fundatores titulo „patronatus“ (anglice: advowson) ampla sibi in monasteria vindicaverunt jura. Quae jura erant hereditaria, at pluries extinctione familiae, donatione regia, vel immo alienatione transierunt ad alias manus. Patroni illi, quomodocumque haec jura sint adepti, semper fundatores se nuncupaverunt, et raro tantum advocati et fundatores erant duo diversi. Multi eorum habuerunt ius praesentandi abbatibus canonicos et fratres ad proprium arbitrium ad receptionem in Ordinem („ius faciendi canonicos“⁷⁾). Numerus horum „canonicorum additionalium“ per contractum erat fixus. Hic mos, saepius sane in abusum degenerans, a Capitulo Generali anni 1231 expresse pro patronis abbatiae Torrensis est legitimatus.

⁵⁾ Quoad alios Ordines, in hisce regnis, perpauci tantum ex praesulibus abbatiarum maxime praecipuarum hoc privilegio gaudebant. De Whithorn v. infra apud Circ. Scotiae.

⁶⁾ Libra (Pound Sterling) saeculi XV vel XVI idem valuit circiter quam triginta Librae anni 1930.

⁷⁾ Ita in Croxton (P. R. O. Ancient Deeds A 3264), in Easby et Barlings (COLVIN pp. 271 resp. 305). Aliquando immo abbas quidam alius Ordinis habuit jus praesentandi canonicum in Ordine nostro (cf. notam infra sub Durford)

Tempore, quo Ordo in Angliam advenerit, monasteria duplicia proprie dicta iam erant derogata. Ideo asceteria ibi non extiterunt praeter tria, quae initio in vicinia duarum primarum foundationum (Newhouse et Alnwick) circa annos 1143/54 sunt orta, illisque quoad omnia erant unita atque subiecta. Probabiliter ab ipsa abbacia matre erant condita ex bonis fundatitiis, et nobiles, quos habent pro fundatoribus varii auctores, nil erant nisi benefactores. Elucet ex amplo archivo Neohusiensi, quod abbas loci saeculo XII in ambabus asceteriis sibi subiectis vestivit sorores, et professiones earum recepit. Obituario eiusdem abbaciae insertae sunt „sorores nostrae in Irford“, et „in Brodholme“, in chartis et donationibus memorantur „fratres et sorores de Newhouse“. In asceteriis aderant aliquot canonici, initio etiam conversi. Superior asceterii erat „magister“ ad nutum abbatis, cui prior et custos erant adlati. Probabiliter etiam aliqua asceteria aliorum ordinum se subiecerunt directioni spirituali Praemonstratensium, quod videtur constare de Stixwould et de Swine, de quibus vide infra.

Clausura monialium, a Capitulo Generali „per gratiam“ valde mitigata, a patribus circariae anno 1316 est redintegrata, sanciente postea ipso Capitulo Generali. Medio saeculo XIV, parthenon Guizance videtur desiisse⁸⁾; superstites Irford et Broadholme, pauperes et haud conspicui, hoc eodem tempore quoad bona facti sunt sui iuris. Moniales vocatae sunt „Dame“.

Dryburgh in Scotia iam anno 1184 obtinuerat privilegium administrandi ecclesias incorporatas ternis vel quaternis canonicis. Quam secutae sunt, ante finem saeculi sequentis, canonicae in Anglia: Westderham, Shap, Tichfield, Torre, Halesowen et Welbeck. Dein et reliquae hoc fecerunt, et quidem praecipue ob rationem pecuniariam. Notandum est enim, canonicas administrationem ecclesiarum extra claustra assumpsisse saepius coacti ab episcopis, praesertim ab Hugone Grosseteste, archiepiscopo Eboracensi. Illi nempe jure merito non cessabant urgere, ut apud ecclesias rurales, a nobilibus monasteriis datas, propter plebem exponantur sacerdotes. Ita monasteria coacta sunt, ut aut sacerdotes saeculares ibi alerent, aut, ex parsimonia, proprios confratres ibi exponerent. A saeculo XIV, ex defectu personarum generatim unus tantum parochus in istis ecclesiis erat expositus. Multae ecclesiae ab initio administrabantur excurrendo. Possederunt abbaciae etiam capellas incorporatas (cantariae,

⁸⁾ Pestilentia, qua probabiliter est diremptus, atrociter saeviit in Anglia, ita ut circa annum 1350 multae abbaciae interitui erant proximae (cf. P. G. MODE, *Influence of the Black Death on the English Monasteries*, Chicago 1918)

chantries), capellanis ex Ordine instructas. Modus administrationis ecclesiarum incorporatarum erat valde irregularis. Ecclesiae commissae sunt tum canonicis parochis „ad vitam“, tum iisdem „ad nutum“, tum sacerdotibus saecularibus, et saepius invenimus canonicos Ordinis apud ecclesias huic alienas⁹⁾. Praeter morem, immo contra Statuta, Ordo noster habuit in Anglia etiam aliquot prioratus, qui neque ut merae curiae, neque ut parochiae habendi videntur, sed qui saltem initio erant domus vere formatae. Sic dictae „cellae“ enim, id est prioratus dependentes ab aliqua abbacia, in Anglia pluries erant corpora juridica separata, propriis bonis fundatiis, et propriis ecclesiis incorporatis gaudentes. Videtur viguisse in illis, saeculo XIII, vera vita conventualis, et verbum fit de „priorate et capitulo“, ex abbacia-matre desumptis¹⁰⁾. Aliquae canonicae, tamquam prioratus fundatae, postea in abbatias sunt evectae, ita Hagneby, Dale, et Cockersand¹¹⁾, probabiliter etiam Tal-y-Llychau. Ceteroquin duplicem speciem prioratum distinguimus in Anglia. Prior sunt cellae abbatias anglis subditae (Warburton, Hornby, Snellshall, Blackwose, Kayland). Ipso saeculo XIII autem, Warburton, Snellshall et Blackwose interierunt, de Kayland nil scitur certi. Hornby sola superstes, saeculo XV duobus vel tribus canonicis praedita, considerabatur exinde tamquam pars integrans bonorum Croxtoniensium. Secunda species sunt prioratus ad abbatias gallicas spectantes, vulgo „alien priories“ nuncupati. Ordinis nostri erant tres in Anglia: Cammeringham, Charlton, et West Ravensdale. A nobilibus normannis maturo tempore fundati, pluries bonis fundatiis abbatiarum adnexi sunt. Reges Angli, Gallos debellantes, in posterum eos aegre tulerunt, ideo in decursu saeculi XIV suppressi, dein venditi vel ad alios fines conducti sunt. Numquam de iure pertinuerunt ad circarias Angliae.

Nec monasteriis Angliae defuerunt tempora, quibus disciplina erat relaxata, sed numquam tantopere, sicut in quibusdam circariis in continente sitis accidisse lugemus. Peculium certe viguit a saeculo XIV, in cuius fine singuli religiosi, immo et novitii, haereditates privatas acce-

⁹⁾ Confer quod ad hoc referimus in praefationibus ad Circarias Hiberniae, Scotiae et Saxoniae.

¹⁰⁾ Confer evolutionem in Gallia, ubi saeculo XIII plures prioratus sunt orti partim loco asceteriorum exstinctorum, partim ad curam animarum exercenda. Et in Anglia interdum ecclesiae parochiales, a pluribus canonicis administratae, „prioratus“ vocabantur, ut Kirby in Malhamdale (dep. a West Dereham). Confer etiam quod dicimus de ecclesia Hailsham infra sub dubiis.

¹¹⁾ Dale et Cockersand ortae sunt ex eremitoriis, quod saepius accidit in ordine (St. Salvator, Vicogne, St. Elisabeth etc.) Cf. ad hanc rem J. C. DICKINSON, *The Origin of the Austin Canons*, London 1950, p. 143.

perunt. In fine saeculi XV a reformatore Redman peculium est restrictum ad unam libram quotannis pro vestimentis, sed non abrogatum. Systema commendarum vix fuit in usu in hoc regno. Paternitates singularum domuum saepius fuerunt mutatae.

Ex tribus catalogis bibliothecarum qui supersunt, videmus has canonicas libris bene fuisse praeditas. Ita bibliotheca Tichfeldensis anno 1400 mille circiter opera complectebatur. Ceteroquin de cultu scientiarum in his circariis pauca tantum habemus testimonia. Abbates nec domi, nec Oxonii et Cantabrigii collegia seu scholas instituerunt, ut fecerunt omnes fere Ordines. Nec scriptores inveniuntur multi: citari queunt Joannes Wigenhall abbas, et Thomas Wigenhall, ambo ex abbacia West Dereham (saec. XV). Richardus Anglus, qui in abbacia Arnsbergensi vitam suam finivit, eodem saeculo scriptis excelluit. Notandi sunt insuper plures chronistae, praesertim Thomas de Muskham, auctor pretiosi *Chronicae de Dale* medio saeculo XIII¹²⁾. Ex qua *Chronica* scimus, saeculo illo in Anglia nonnullos fratres fuisse consideratos in Ordine tamquam „sanctae memoriae“ vel „venerabiles“. Ita Joannes Grauncorth, abbas in Dale, et „Beatus Augustinus de Lavendon“, qui ibi erat abbas annis 1233/37. Aliunde hoc nobis notum est de fundatore canonicae Cockersand, Hugone Eremita. Invenirentur certe multo plures viri scientia vel sanctitate eminentes, si bibliothecae et archiva monasteriorum in Anglia minus essent deleta vel amissa.

Saeculo XIII, nexus cum Ordine et cum Praemonstrato erant arcti. Abbates de Bayham et de St. Radegund, jure paternitatis ipsi archicoenobio submissi, circa multa, praesertim in visitationibus, aliquo modo erant privilegiati. Ex Anglia sunt orti duo abbates generales: celebrer ille Gervasius¹³⁾, et Wilhelmus de Dale (1233—38). A saeculo XIV, Circa-riae Angliae per bella continua illius regni cum Gallia et cum Scotia, a capite Ordinis sicut ab abbatibus scoticis paulatim sunt separatae. Eduardus I Angliae rex monasteriis alta vectigalia imposuit, ac ea vetuit tallias quaslibet solvere capitulis et Abbatibus Generalibus in Gallia. Anno

¹²⁾ De Wigenhall cf. GOOV. II 397, et COLVIN 323, de Richardo ibid. II 91 et COLVIN 324 de Thoma Muskham COLVIN 170, Zacharias Chrysopolitanus, quem nonnulli auctores habent tamquam Anglum, revera erat Gallus, cf. VALVEKENS in An. Praem. 1952 pp. 53/58

¹³⁾ Qui erronee usquedum per confusionem quandam „de Chichester“ erat appellatus. Rectius nuncuparetur „Gervasius Anglus“. Cf. de eo C. R. CHENEY, *Gervase, abbot of Prémontré, a mediaeval Letter-Writer* (*Bulletin of the John Rylands Library* XXXIII Nr. 1, 1950) et K. MINTEN, *Gervasius*. Staatsexamensarbeit Bonn 1950 MS. Epistolae eius sunt editae apud HUGO (SAM 1—124), et aliquae nuper detectae a CHENEY o. c.)

1307 immo abbatibus anglis omne iter in Galliam est interdictum sic dicto Statuto Carleolensi. Etiam nobiles Angli, id est patroni et advocati abbatiarum, certatim huic statuto applauserunt. Abbates nostri, anno 1310 Lincolnii adunati, decreverunt regi potius obtemperare quam Ordini. Exinde Abbas Generalis anno sequenti eos excommunicavit praeter abbates de Sulby, Langdon, Beeleigh et St. Radegund, qui ei manserant fideles. Abbates appellaverunt ad Sanctam Sedem, felici cum exitu, et ideo anno 1313/14 Abbas Generalis anathema suum revocare coactus est. Anno 1316 Capitulum Generale statuit sequentia:

1. Soli visitatores annui Circariarum in posterum tenentur Capitula Generalis adire, item abbates neolecti.

2. Abbas Generalis potest visitare Circarias Angliae personaliter omni tempore, sed per deputatos omni quinquennio tantum. In neutro casu abbates Angli aliud quid contribuere debent quam sustentationem illorum durante itinere in Anglia. Visitatores deputati nequeunt deponere abbates.

Ad inducendos abbates Angliae ad oboediendum conventioni supradictae, Adam de Crecy, Abbas Generalis, hoc tempore dicitur construxisse Praemonstrati amplam et sumptuosam „Aulam Angliae et Scotiae“. Usque ad bella cum Gallia (ab an. 1343) tamen quotannis aliqui abbates Angli in Praemonstratum venire solebant. Ab anno 1369 nonnisi rarissime praelatus quidam extraneus visitationes in Anglia potuit peragere. Deinceps abbas Generalis nominavit quendam abbatem Anglum commissarium et visitatorem. Durante schismate Avenionensi scissura adhuc increvit. Cum enim Abbas Generalis fuerit assecla antipapae, Urbanus VI ad tempus omnem potestatem generalitiam transtulit ad abbatem Welbecensem. Saeculo XV, quo conventio anni 1316 non amplius erat in vigore, hoc munere functi sunt abbates Bayhamenses, et ab anno 1459 Richardus Redman Shappensis, de quo infra.

A saeculo XIV abbates Angli tenuerunt omni triennio capitula sua tum nationalia¹⁴⁾, id est, demptis quidem Scotis, tribus circariis communia, tum provincialia, id est pro singulis circariis tantum. Fieri solebant haec capitula regulariter in ecclesiis mendicantium in urbibus favorabiliter sitis. Saeculo XV, cum abbates praecipuarum canonicarum inter se aemularentur, partitiones sunt ortae, quae separatim habuerunt sua capitula. Separatio a capite Ordinis ansam dedit neglectui statutorum et abolitioni habitus Ordinis¹⁵⁾, cuius loco nigrae ac caeruleae vestes sunt

¹⁴⁾ Quae vocabantur „generalia“ ab anno 1387

¹⁵⁾ Anno 1401 Easby, et cum ea etiam ceterae canonicae, obtinuerunt privilegium assimilandi habitum Ordinis illi Canonicorum OSA. (P. L. V 355)

introducunt. Iubente vero Summo Pontifice, anno 1429 iterum albae sunt resumptae. A medio saeculo XV, ope Richardi Redman, abbatis de Shap et Visitoris generalis Ordinis in Anglia, reformatio tanto successu est peracta, ut circa annum 1500 dictus visitor vix aliquid invenerit vituperandum in singulis canoniis. Gratum est nobis, quod Relicta visitationum illius, intimam vitam canonicarum per medium fere saeculum nobis fuisse revelantia, omnia sint conservata.

Separatio vero ab Ordine revocata est anno demum 1503 vel paulo post, cum Capitulum Generale instanter insinuaverit abbatibus Angliae et Scotiae, ut tandem aliquando tallias Ordini debitas solverent. Anno 1508 William Curlew, abbas de Langley, ab eo nominatus est visitor Angliae. Qui cum esset persona minime grata et idonea, lites et scandala sunt orta, quae finierunt in exemptione completa Circariarum Angliae, Sancta Sede confirmante, anno 1512¹⁶⁾. Abbati Welbecensi collata est potestas quasi-generalitia. Nec minus interea Capitulum Generale pro iure suo dimicavit, ac postremo anno 1531 exemptio Anglorum a Sta. Sede denuo ad irritum est facta, sed frustra, quia paulo post totum regnum a fide catholica se separavit. Cardinalis Wolsey abbatiam de Bayham iam anno 1524 de licentia Papae suppresserat, et mox Henricus VIII rex hoc destructionis opus perfecit. Annis 1535 — quo omnes abbates nostri Angli oboedientiae erga Stam. Sedem abiuraverant — et 1536, monasteria minora, quorum redditus annui 200 Libras non excedebant, sunt suppressa. In qua suppressione, superioribus tantum pensio est concessa, reliqui autem religiosi pluries in abbatias superstites refugerunt. 16 de 33 domibus hac lege sunt plexae. Aliquibus autem, et ipsis de minoribus, rex pepercit; ita paupercula Eggleston anno demum 1540, ultima

¹⁶⁾ Cf. de hac re COLVIN 227/28. Quae sequentibus possumus complere: Abbates Angli initio nequaquam videbantur carere bona voluntate, sese iterum subiiciendi auctoritati Ordinis. Sed Capitulum Generale imprudenter egit nimis in eos. Abbas Curlew, visitor ab eo nominatus, statim excommunicavit Robertum abbatem de Sulby. Thomas, abbas Welbecensis, apud Capitulum Generale magna vi testimoniorum de abbate Langleiensi requestus est, qui dein ab illo depositus et per Joannem Maxey suffectus est. Quem autem abbas Curlew vi expulsi, multa copia testium et diffamationum in eum invehens. Anno 1510 abbates de Welbeck et de Leyston, sicut et ambo abbates de Langley comparuerunt coram Capitulo Generali, quod causam decidit. Tenor huius decisionis quidem nobis non est traditus, sed videtur fuisse nullo modo ad mentem abbatis Welbecensis, qui abbate Curlew depositus, a Capitulo Generali denuo nominatus fuerat visitor Angliae. Quo munere „certa et rationabili causa“ ab illo privatus est anno 1511. Valde indignatus de his omnibus, abbas Thomas exinde instantius machinatus est separationem ab ordine, ut fuerat de facto ante annum 1503, quod et obtinuit. (Act. Cap. Gen. Laon pp. 105, 106, 108, 113/17, 124)

domus Ordinis est dissoluta, et anno 1537, rex „novellam plantacionem“ monialium Ordinis nostri instituit in Stixwould. Annis 1537/38 plures canonicae sunt suppressae praesertim in circaria mediana, annis 1539/40 vero reliquae domus omnes. Omnia bona dein a fisco regio sunt sequestrata, et simul cum aedibus, sub decursu saeculi XVI, paulatim laicis, praesertim nobiles de domo regia bene meritis, sunt tradita. Religiosi, quorum multi a fide catholica deficientes matrimonium inierant, pensionem receperunt.

Aedificia, in quantum ex rudibus adhuc dignosci possunt, inter se sunt valde consimilia. Ecclesiae sunt fere omnes unius navis tantum¹⁷⁾, cui saepe saeculis XIV/XV altera navis lateralis et unica turris adiungebantur. Capitula, ut de more in Anglia, erant generatim aedificia separata, sacellorum contiguorum instar, rotunda, polygona vel rectangularia cum tribus navibus. Refectorium in Anglia „Frater“ nuncupabatur.

Sors aedium desolatarum, quondam, ut elucet e recessibus visitationum abbatis Redman, arte et decore saepe praestantium, post suppressionem erat tristissima. Statim iussu regis omnes ecclesiae suis tectis, ex plumbo confectis, sunt destitutae, quod fuit causa ruinae et interitus. Nulla ex eis versa est in usum parochialem, praeter ecclesiam mutilatam in Blanchland. Ruinas conspicuas ecclesiarum simul et aedium claustralium admiramus in Bayham, Eggleston, Leyston et Torre. In Easby perpulchrae et extensae ruinae, praesertim monasterii, supersunt. Rudera vel aedes superstites minoris momenti invenimus in Beleigh, St. Rade-gund, Langley, Tichfield, Beauchief, Dale, Halesowen, Tal-y-Llychau, Topholme, Alnwick, Blanchland, Cockersand, Coverham, Shap, Guizance, Cammeringham et West Ravendale. Fere nihil subsistit in Durford, West Dereham, Barlings et Welbeck. Reliquae canonicae omnino solo sunt aequatae. Saepius, ut in Croxton et alibi, nuper fundamenta sunt effossa.

Archivalium sors est valde diversa. Sunt domus, quarum historia satis bene est documentata, sunt aliae, de quibus omnia documenta perierunt. Generalia supersunt sequentia:

1. „Registrum Visitationum“ Richardi Redman 1459/1505, in Bodleian Library, Oxford, MS Ashmole 1519. Publ. a A. GASQUET in CAP (vide infra).

2. Transcriptiones alicuius amissi „Registri Praemonstratensis“ factae a Francis Peck (1692/1743), in Brit. Museum, London, Add. (Sloane)

¹⁷⁾ „ad morem et mediocritatem aedificandi ecclesiam, quibus utuntur canonici eiusdem (scil. Praemonstratensis) ordinis“. (*Epistolae Cantuarienses*, ed. STUBBS, II 512)

MSS 4934, 4935. Pariter publicatae sunt a Gasquet eodem loco. Incertum est, num Peck hoc registrum transscripserit ex toto.

Cartularia supersunt de Barlings, Bayham, Beauchief, Cockersand, Croxton (2), Dale, West Dereham, Durford, Easby, Langdon, Langley(2), Leyston, Newhouse, St. Radegund, Torre, Welbeck, Obituaria tantum de Beauchief, et fragmentum de Newhouse. Inventarium bibliothecae ex Tichfield, Welbeck et St. Radegund. Chronica vel Annales de Dale, Hagneby, Alnwick et Barlings.

Integrum, vel fere, archivum periit de omnibus prioratibus et asceteriis, de Coverham, Lovendon, Newbo, Tal-y-Llychau, Tupholme, Beleigh et Blanchland, Eggleston.

Nonnulla ex archivalibus supradictis sunt mutilata, vel transscripta posteriora. Feliciter in Anglia historici iam saeculi XVI coeperunt transscribere manuscripta ex archivis monasticis, quorum originalia interea sunt amissa. Maior pars eorum quae supersunt, asservantur in British Museum vel in Public Record Office Londini, in Bodleian Library Oxonii, minor autem in bibliothecis aliorum collegiorum universitatum, vel immo privatorum.

Ordo noster, a saeculis in Anglia extinctus, nostris diebus eo revertit, et quidem et hac vice e Flandria. Abbatia Tongerloensis anno 1872 fundavit prioratus in Crowle, Spalding et Manchester¹⁸⁾, qui tamen potius domus parochiales sunt quam monasteria. Prioratus vero in Storrington, ab abbazia Ferigoletensi in Gallia saeculo peracto conditus, nuper transiit ad abbatiam Tongerloensem, quae intendit ibi instituere primam canoniam sui juris Ordinis nostri in Anglia post reformationem.

¹⁸⁾ Tres abbates titulares residerunt in hoc prioratu, professi Tongerloenses. scilicet: R. D. Martinus Geudens, Belga, abbas tit. de Barlings 1898—1912. R. D. Gerebernus Seadon, Anglus, abb. tit. de Welbeck 1914—30, et R. D. Georgius Toner, Anglus, abb. tit. de Cockersand 1933—48.

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

Monasteria Angliae secundum dioeceses divisa

CANTERBURY: Blackwose, St. Radegund, Langdon, Combwell
CARLISLE: Shap
CHICHESTER: Bayham, Durford
DURHAM: Alnwick, Blanchland, Guizance
EXETER: Torre
HEREFORD: Holme Lacy
LICHFIELD: Beauchief, Dale
LINCOLN: Barlings, Broadholme, Cammeringham, Croxton, Hagneby,
Irford, Kayland, Lavendon, Newbo, Newhouse, Snellshall, Stix-
would, Sulby, Tupholme, West Ravendale.
LONDON: Beleigh
NORWICH: Langley, Leyston, Wendling, West Dereham
ROCHESTER: Brockley
ST. DAVIDS: Tal-y-Llychau
SALISBURY: Charlton
WINCHESTER: Tichfield
WORCESTER: Halesowen, Dodford
YORK: Cockersand, Coverham, Easby, Eggleston, Hornby, Welbeck

Item divisa in comitatus:

BUCKSHIRE: Lavendon, Snellshall
CARMARTHEN: Tal-y-Llychau
CHESHIRE: Warburton
DERBY: Beauchief, Dale
DEVON: Torre
ESSEX: Beleigh
HAMPSHIRE: Tichfield
HEREFORD: Holme Lacy
KENT: Blackwose, Langdon, St. Radegund
LANCASHIRE: Cockersand, Hornby
LEICESTER: Croxton

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

LINCOLN: Barlings, Cammeringham, Hagnaby, Irford, Newbo, Newhouse, Stixwold, Tupholme, West Ravendale
NORFOLK: Langley, Wendling, West Dereham
NORTHAMPTONSHIRE: Kayland, Sulby
NORTHUMBERLAND: Alnwick, Blanchland, Guizance
NOTTINGHAM: Broadholme, Welbeck
SUFFOLK: Leyston
SUSSEX: Bayham, Durford
WESTMORELAND: Shap
WILTSHIRE: Charlton
WORCESTER: Dodford, Halesowen
YORKSHIRE: Coverham, Easby, Eggleston

Capitula Circariarum Angliae 1471—1504

(secundum Registra abbatis Redman)

Annus	Datum	Locus	Genus capituli
inter 1471 et 75	17a Apr.	Northampton monasterium O. Praed.	generale
ante 1476		Stamford	provinciale
1476	15a Jul.	Lincoln OFM	item
1479	26a Apr.	Leicester OFM	item
1480	21a Apr.	Leicester	?
148(3?)	16a Maii	?	provinciale
1486	12a Maii	Lincoln	generale
1487	14a Aug.	Leicester	provinciale
1489	28a Sept.	Lincoln OFM	item
1492	30a Apr.	Grantham OFM	item
1495	23a Sept.	Lincoln O. Praed.	item
inter 1495 et 1501	?	Nottingham	item
1504	20a Maii	Nottingham OFM	item

VISITATORES ET COMMISSARI
ABBATUM GENERALIUM IN ANGLIA
ab anno circ. 1400 (cf. praefationem)

1. Visitatores de facto (Colvin, et Acta Cap. Gen. Laon)

- 1406—11 Abbas Welbecens.
1411—59 Abbates Bayhamenses
1459—1505 Abbas Shapensis
1505—08 item Welbecensis
1508—09 Langleyensis
1509 Abb. Welbecensis, quem anno 1511 deponit Cap. Generale.
Exinde separatio, et abbates Welbecenses fiunt visitatores
nati usque ad interitum circariarum

2. nominales (Acta Cap. Gen. Laon)

- 1498 Abbas Cuissiacensis
1499—1506 Abbas Generalis
1511/12 Abbas Generalis habet auctoritatem providendi, demptis de
abbatibus de Welbeck et de Langley modernis
1513/14 Procurator Ordinis Romae, cum potestate substituendi, as-
sumpto secum aliquo praelato Ordinis
1515/17 Abbas Generalis et Abbas Sti. Andreae in Nemore ad trien-
nium
1518/35 Abbas Generalis

FONTES

Fontes historici in archivis gubernii et episcoporum asservati, nitide generatim expensis publicis a saeculo peracto publicantur in sic dictis editionibus „Public Record Office“, vel „H. M. Stationery's Office“ Londini. Multa etiam, praesertim Registra Episcoporum fere integra adhuc existentia, ope societatum privatarum in lucem procedunt. Quae editiones omnes, archivis monasticis proprie dictis praeter pauca supra notata amissis, sunt uberrimus fons pro exaranda historia nostrarum circariarum.

Magnam partem harum serierum excerptimus, excerptaque in rubrica „Litteratura“ ad calcem singulorum monasteriorum adnotamus. Optime haec omnia invenies congestum in opere praestantissimo H. M. Colvin, infra allato, ex quo etiam omnes series abbatum transsumpsimus. Si aliquid in illis aliunde est desumptum, expresse adnotamus.

- BREWER J. S. BREWER et J. GAIRDNER, *Calendar of Letters and Papers, foreign and Domestic, of the Reign of Henry VIII, preserved in the Public Record Office London.* — 21 vols, London 1882/1910
- Henry VIII
- Cal. Chanc. *Calendar of Chancery Rolls, Various*, 3 voll. 1277/1326, London 1912
- Var.
- Cal. Chanc. *Calendar of Chancery Warrants I*, 1244/1326, ibidem 1927
- Warr.
- Cal. Chart. R. *Calendar of Charter Rolls*, 6 voll. (1226/1516), ibidem 1903/27
- Cal. Close R. *Calendar of Close Rolls, preserved in the Public Record Office.* 57 voll (1227/1461), London 1902/37
- Cal. Fine R. *Calendar of Fine Rolls*, 20 voll. (1272/1471) ibid. 1911/40
- Cal. Inqu. *Calendar of Inquisitions Miscellaneous (Chancery)*, 3 voll. — H. M. Stationery Office London 1916/37
- Misc.
- Cal. Inqu. *Calendar of Inquisitions post mortem*, 16 voll., ibidem 1906/15
- p. m.
- Cal. Lib. R. *Calendar of Liberate Rolls*, 5 voll (1226/67), ibid. 1917/37
- P. L. *Calendar of Entries in the Papal Registers, relating to Great Britain and Ireland: Papal Letters*, 12 voll. — item: *Petitions* 1 voll. (London 1893/1933) — Voll. 13 et 14, ad prelum parata, habentur tamquam MS in P. R. O. Londini¹⁹⁾.
- Pet. I
- Cal. Pat. *Calendar of Patent Rolls*, 66 voll. (1216/1563), London 1901/48
- C. R. R. *Curia Regis Rolls 1199—1230*, 8 voll., ibidem 1922/29
- F. N. DAVIS, *Rotuli Ricardi Gravesend, Dioc. Lincolnensis.* (Canterbury & York Soc. 1925)
- RDepKPR *Reports of the Deputy Keeper of the Public Records*, London 1840 sq.
- CLAY J. W., *Yorkshire Monasteries: Suppression Papers.* (Yorkshire Archaeological Society, Record Series XLVII) 1912
- HMCR *Historical Manuscripts Commission Reports*. 22 reports ab anno 1870, in S1 coll. Londini.

¹⁹⁾ Inveniuntur in P. L. sequentia „Generalia“ de Ordine: I 195, 411, VI 76/77, 159/60, 379/80, 397, VIII 77/78, 272, IX 419, XI 615/16, XII 329.

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

- FARRER/
CLAY W. FARRER & C. T. CLAY, *Early Yorkshire Charters (anterior to the 13th Century)* 8 voll. Yorksh. Archaeol. Soc. Record Series, Edinburgh 1914/49
- CAP A. GASQUET, *Collectanea Anglo-Praemonstratensia* (Royal Historical Society, Camden 3d ser. voll. 6, 10, 12) 2 voll. London 1904/06
- GIRALD.
CAMBR. GIRALDI CAMBRENSIS *Opera*, edd. J. BREWER London 1861/91 8 voll.
- R. HILL, *The Rolls and Registers of Bishop Sutton of Lincoln*, 1280/99, 2 voll. Lincolnshire Record Series, Hereford 1948
- W. HOLTZMANN, *Papsturkunden in England, I. Bibliotheken und Archive in London, II. andere.* — Berlin 1930/35
- P. H. JEAYES, *Descriptive catalogue of Derbyshire Charters in Public and Private Libraries*, London 1906
- L. LANDON *The Cartae Antiquae Rolls 1—10*, London 1939
- LELAND *The Itinerary of John Leland in or about the years 1535—43*, ed. HEARNE 1744. et L. TOULMIN SMITH 4 voll. London 1908/10
- LIB. FEOD. *Liber Feodum, or the Book of Fees, commonly called Testa de Newill 1198/1293*, 2 voll. et 1 vol. Index, London 1921/37
- North. Pleas *Northumberland Pleas from the Curia Regis and Assize Rolls 1198/1272*. (ed Newcastle upon Tyne Records Committee 1922)
- W. D. PECKHAM. *The Cartulary of the High Church of Chichester*, 2 voll. (Sussex Record Society) Cambridge 1942/43
- Pipe Rolls *Pipe Roll Society Publications*. Two Series, 51 vol. London 1884
- Reg. Chichele *The Registers of Henry Chichele, Archbishop of Canterbury. 1414/43*. 4 voll — ed. E. F. JACOB et H. C. JOHNSON, Oxford 1937 sq.
- Reg Archb. York *Registers of Rolls of the Archbishops of York* (Publ. Surtees Society):
1. *Walter Grey (1215/55)* 1872 2 vols.
 2. *Walter Griffard (1266/79)* 1904
 3. *William Wickwane (1279/85)* 1907
 4. *John le Romeyn (1286/96)* 2 voll. 1913/16
 5. *Thomas Corbridge (1300/04)* 2 voll. 1925/28
 6. *Robert Greenfield (1306/15)* 5 voll. 1931/40
- Rolls Series *Rerum Britannicarum mediæ aevi Scriptores, or Chronicles and Memorials of Great Britain and Ireland during the Middle Ages published by the Authority of Her Majesty's Treasury and under the Direction of the Master of the Rolls* (99 opera in 251 tomis, 1858/96)

Monasticon Praemonstratense, Editio Prima, Tomus II, 1952

RYMER T. & SANDERSON R., *Foedera, Conventiones, Litterae et cujuscumque Generis Acta Publica inter Reges Angliae et alios quosvis Imperatores, Reges, Pontifices, Principes vel Communitates.* (edd. A. GLARKE et F. HOLBROOKE) 4. voll. London, Rec. Com. 1816—69

STENTON D. STENTON, *The Earliest Lincolnshire Assize Roll 1202/09*, E. L. A. Lincoln, Record Soc. 1926

STENTON F. M. STENTON, *Documents illustrative of the Social and Economic History of the Danelaw* (British Academy 1920)

Taxatio Nicolai IV *Taxatio Ecclesiastica Angliae et Walliae auctoritate Nicolai IU 1288/92* (Record Commission London, 1802)

THOMPSONA. H. THOMPSON, *Visitation of Religious Houses in the Diocese of Lincoln 1420/49*, 3 voll. Canterbury & York Soc., London 1915/27

THOMPSONIDEM, *Visitation of the Diocese of Lincoln 1517/31*, 3 voll. Lincoln Vis. Dioc. Record Society, Hereford 1940

L. A. R. W. S. THOMSON, *A Lincolnshire Assize Roll for 1298* (The Lincoln Record Society, Hereford 1944)

Val. Eccl. *Valor Ecclesiasticus 1535*, 6 voll. British Record Commission, London 1810/34, ed. J. HUNTER)

